TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE,

DE

CONTAGIONE:

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS *RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,*

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

CAROLUS THOMAS STEPHENSON,

ANGLUS;

SOCIETAT. REGIAE MEDICAE EDINENSIS SOCIUS.

Continuo ** culpam compesce, priusquam
Dira per incautem serpant contagia vulgus.
VIRGIL. *Georg.* iii.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR,

1821.

10.

PATRUO SUO CARISSIMO

SIMONI STEPHENSON, S. L. S. &c.

ARMIGERO,

PROPTER MULTA QUAE CONTULIT BENEFICIA,

HOCCE OPUSCULUM

EXIGUUM PIETATIS TESTIMONIUM

SACRUM VULT

CAROLUS T. STEPHENSON.

VIRO SPECTATISSIMO

GULIELMO LYNN,

ARMIGERO,

COLLEG. REG. CHIRURG. LONDIN. SOCIO,

NECNON

NOSCOMII WESTMONASTERIENSIS

CHIRURGO MAJORI,

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

BENEVOLENTIÆ EGREGIÆ

HAUD IMMEMOR

SUMMA CUM OBSERVANTIA

DICAT CONSECRATQUE

AUCTOR.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

CONTAGIONE.

AUCTORE CAROLO J. STEPHENSON.

Contagium medium aut materies vocatur, quâ quidam morbi ab uno, ad alterum hominem, sive per ipsum contactum, sive per aëra, seu denique per res quales appellantur fomites, transferuntur. Limites arcti Theseos hujusmodi, vetant nos notiones diversas multorum scriptorum meminisse, quas illi de verbi definitione et derivatione prodiderunt ; liceat igitur, primo morbos qui contagione propagantur, deinde rationes quibus contagium praecavetur, commemorare.

Nihil in scriptis antiquorum de morbis contagiosis memoriae traditum est, quâ de re fas est judicare, eos nullam scientiam contagionis habuisse, aut eam esse malum cujus rationem reddere non poterant. HIPPOCRATES nusquam hujus mentionem facit. Multi morbi formidolosi hodie contagione propagantur qui veteribus, aut prorsus ignoti, aut eo tempore adeo leves erant, ut non iis notatu digni viderentur; si quidquam omnino de contagio cognosceretur, ejus notitia arctissima erat.

Ex plurimis autem legibus in tabulis a MOSE institutis a quibus omnis contactus cum hominibus impuris, aut morbis quibusdam laborantibus prohibetur, et ex curâ quâ omne commercium cum alienis gentibus vetatur, verisimile est id genus contagii, quod ipso contactu corporis inficit, aliquâ ex parte, primis etiam temporibus, Judaeis notum esse.

Qualiscunque fuerit hac de re, ignorantia

antiquorum scriptorum, haud dubium est eos bene morbos epidemicos novisse. Sed hoc non satis probat, eos hujus rei habere notitiam, quoniam validissima argumenta febriles contagiones veras esse non prohibuerunt quominus apud medicos venerit in disputationem, utrum necne epidemici morbi, quales seris temporibus grassati sunt, pro causa contagionem habuerint.

Livius tamen, dum progressum febris endemicae memoriae tradit, plane dicit morbum ex contactu aegrorum ortum esse.

*"Et primo temporis, ac loci vitio et "aegri erant et moriebantur; postea cura-"tio ipsa et contactus aegrorum vulgabat "morbos." Quanquam autem concessum fuerit contagionem interdum in cognitionem veterum incidisse, et eam recentioribus magis esse notam, parum tamen ejus natura et propagatio in aperto erant donec, labente duodevigesimo seculo, methodus inducti-

* *Vide* Liv. Lib. xxv. Cap. 26.

onis a quibusdam medicis et philosophis et praesertim Doctore HAYGARTH ad res medicas perscrutandum adhiberetur. Morbi contagione propagati humanae sunt speciei proprii, praeter hydrophobiam, quae tum hominibus, tum aliis quibusdam animalibus communis est.

In animo autem est, primum modos proponere, quibus contagio morbos vulgat; deinde morbos contagiosos ordinare secundum modum, quo propagantur; postremo de ratione contagionem praecavendi paucis disserere.

DE MODIS QUIBUS MORBI CONTAGIONE VULGANTUR.

Nunc igitur venitur ad modum exponendum quo morbi contagione vulgantur.

Hoc variis modis efficitur.

I. Ipso contactu solummodo cum rebus et corporibus infectis.

II. Alii morbi, ex contactu et effluviis propagantur.

III. Effluviis natantibus in aëre a corporibus morbo affectis, aut rebus contaminatis ortis, aut miasmate paludibus emisso; haec autem longe et late vestibus, suppellectile, et vi ventorum dispergi possunt.

DE PRIMA CLASSE MORBORUM CONTAGIOSORUM.

Nunc de prima classe morborum contagiosorum dicendum est, nempe de iis morbis, qui ipso contactu propagantur.

Hoc modo Syphilis, Psora, Tinea capitis, Framboesia, Sibbens, Hydrophobia, vulgantur.

1. DE SYPHILIDE.

Quidam priores et profecto recentiores scriptores affirmarunt, hoc malum communicari posse homini, qui in eodem lecto cubat, aut qui in eadem camera habitat, in quibus morbo laborans.

Quaecunque vis morbi fuerit, in initio se hoc modo propagandi observationes accuratissimae satis demonstrant illum hodie non ita sese diffundere posse. Modi, igitur, qui-

bus saltem nostris temporibus virus venereum ab impuro homine ad sanum transfertur haec ad capita redigi possunt.

1. Coitione, quoties genitalia alterutrius venereis ulceribus affecta sunt.

2. Coitione, quoties in genitalibus alterutrius dum sanitate frui videtur, latet virus, quod nondum perniciosos effectus praestitit.

3. Inter lactandum, aut a nutrice ad infantem, aut ab infante ad nutricem.

4. Oblatâ actioni viri venerei corporis superficiei parte ullâ teneriore, praesertim si partes objectae vulneratae, excoriatae aut quocunque modo ulceratae sunt.

5. Incidendo ullam corporis partem scalpello vel lanceolâ viro venereo tinctâ.

2. DE PSORA.

Hoc malum parvi momenti a medicis habitum est; sat erit igitur dixisse eam contactu, et utendo hominum affectorum vestimentis progigni, et rarissime, vel nunquam, causam mortis fieri. Hunc morbum aër corruptus, cibus minime nutriens et immunditia alunt et etiam excitare videntur, qua de re apud vulgus plerumque incidit.

3. DE TINEA CAPITIS.

Materia ex pustulis secreta in cute capitis propagari videtur; quod ad caetera pertinet psoram refert, quanquam illius natura contagiosa neque tam subito apparet nec pariter in aprico est.

4. DE FRAMBŒSIA.

In hanc nigri Indiae Occidentalis facillime incidunt, et verisimile est, eandem primo ab Africa importatam esse. Plerumque

diffunditur, siquando aliquis cum homine affecto concubuerit, aut aliter eum saepius tetigerit. Hinc quanquam Europaei haud videntur tam obnoxii morbo esse quam homines nigri, illi interdum tamen eo afficiuntur. Mos est Africanis se inoculare, ut laboris immunitatem habeant. Vix aut ne vix quidem aliquis plus semel in vitae decursu hoc malo plectitur.

5. DE MALO CUI "SIBBENS" NOMEN EST.

Hujus morbi primus mentionem fecit Doctor GILCHRIST, qui credebat illum nusquam nisi in partibus Scotiae occasum versus sitis incidere.

Ille medicus arbitrabatur immunditiam potissimum morbo favere; caeteri autem nos certiores faciunt eum recipi posse, si homo ex eodem cyatho bibat, aut eodem ad fumum tabaci exhauriendum tubulo utatur, aut in eodem lecto cubet ac morbo affecti, aut denique ulcera eorum tangat. Parum

distat, a Framboesiâ, de qua jam dictum est.

6. DE HYDROPHOBIA.

Hic morbus ab morsu canis rabidi plerumque originem habet, interdum tamen aliis ab causis affertur.

Morbus creatur, si quando saliva canis rabie affecti in corpus humanum infusa fuerit; et, ut demonstrant experimenta Brisset et Majendie, si saliva hominis hoc morbo laborantis in corpus canis penetraverit.

DE SECUNDA CLASSE MORBORUM CONTAGIOSORUM.

Nunc veniendum est ad pauca dicendum iis de morbis, qui tum contactu vel inoculatione, tum effluviis inter homines diffunduntur.

1. DE VARIOLA.

Hic morbus ex effluviis, quae a corporibus morbo implicitorum oriuntur, necnon humoribus corporis aliquantum viri miscendo excitari potest.

2. DE VARICELLA.

Hoc malum, non secus ac variola, a contagione specifica excitari videtur nec hominem saepius quam semel occupat. Haud raro varicella non facile a variola dignoscitur, quare plures in errorem inciderunt, et materiem usurparunt in pustulis illius genitam, qua hoc malum inoculatione moverent. Hinc saepius male creditur eundem bis variola esse exercitum.

3. DE RUBEOLA.

Hic morbus saepenumero esse Scarlatina creditur, et vice versa; ei originem efflu-

via dant, et ex experimentis a celeberrimo Doctore HOME institutis constat eam quoque ab inoculatione concitari posse.

DE TERTIA CLASSE MORBORUM CONTAGIOSORUM.

EFFLUVIIS natantibus in aëre a corporibus morbo affectis aut rebus contaminatis ortis, aut miasmate paludibus emisso ; hæc autem, longe, lateque vestibus, suppellectile, et vi ventorum transportari possunt.

Hoc sub capite omnes pyrexiae, quotquot continentur in ordine celeberrimi CULLENI, cui titulus est febres, et quidam quoque morbi inter profluvia et exanthemata ejusdem auctoris, comprehenduntur.

DE FEBRIBUS.

Febribus pro causa remota contagio est et

CULLENUS cum multis aliis medicis eam sedantes effectus praestare judicat; alii, autem, effectus ejus esse stimulantes censent. Ucunque hoc sit, satis patet contagia non nisi fontibus, unde oriuntur vicina vim edere, id est, aut prope corporibus hominum ex quibus profluunt, aut prope res, quales quum fuissent corporibus aegrorum propinquae, morbificum virus inhausissent; in quibus quidem rebus illud virus, interdum diu valens retinetur.

CULLENO verisimile videbatur febres, quae fomitibus, quam quae effluviis ab ipso corpore afferuntur, vehementiores esse.

Miasmata, quae tam saepe febres excitant vapores vocantur, qui ex palustribus locis exhalati calori oblati fuerunt. Hac de re saepius ab auctoribus actum fuit quam ut dubium esset ea in initio causam febris existere; et liceat forsitan credere contagia hujusce generis primo ab iis originem habuisse.

Febres plerumque ab humani corporis aut paludum effluviis moventur.

Aliae tamen causae non omittendae quales ad haec mala afferenda conferant, quarum omnium praecipua, in illo statu corporis ponitur, quem frigus inducit.

Effectus frigoris saepe salubres existunt; at aliquando et morbifici inveniuntur.

Aliae quam aliae corporis constitutiones ad frigus suscipiendum magis idoneae, et aliae aliis temporibus ejusdem corporis conditiones id effectibus frigoris magis obnoxium reddunt.

1. Imbecillitas compaginis; imminutus praesertim motûs sanguinis vigor, qualis inediam, evacuationes, lassitudinem, hesternos excessus, nimium Veneris, diuturnas vigilias, plus justo studii, quietem statim post immanes nisus, multum somni aut decessos morbos sequi solet.

2. Corpus vel pars ejus magna solito amictu nudata.

3. Pars tantum corporis frigori oblata, caeteris partibus, ad consuetudinem, aut ultra calentibus.

Aliae quoque potestates ad febres afferendas conferunt, timor nimirum, immoderata potatio, Venus nimia, caeteraque, quibus corpus debilitari solet. Sed utrum harum sedantium potestatum quaevis sola sit febris causa remota, an earum omnes tantummodo ejus naturae sint ut effectum effluviorum humani corporis paludumve juvent, seu denique tantummodo id agant, ut locum frigoris effectibus dent, satis pro comperto haberi nequit; potest fieri ut ab his febres excitentur, caeterum plerumque unaquaeque simul cum potestatibus supradictis conjungitur.

2. DE EXANTHEMATIS.

De Scarlatina.—Hic morbus, si qui-

busdam medicis credimus, idem est ac cynanche maligna. Utcunque, autem, res se habet, malum contagione saltem progignitur.

De Peste.—Hic morbus semper a contagione originem ducit, multos eodem tempore occupat et eorum plurimos tollit.

3. DE PROFLUVIIS.

De Dysenteria.—Hujus morbi initium multis in exemplis frigore trahi videtur. Malum autem semper est contagiosum et hac contagione diffusum, frigore aut alia excitante causa adjuvante, epidemicum in castris similibusque locis grassatur.

Qua de re est cur dubitemus, si merum frigus morbum excitare valet, nisi in homine, qui jam contagioni specificae oblatus esset.

Denique verisimile est contagionem specificam plerumque morbi causam remotam esse.

DE RATIONE CONTAGIONEM PRÆCAVENDI.

NUNC convenit proponere regulas servandas ad contagionem in genere praecavendam.

Quoniam morbi contagiosi, ab altera ad alteram regionem mercibus translati sunt, ita oportet contra hoc periculum, quantum possumus, vigilare; necesse erit igitur diligentissime perscrutari sanitatem nautarum et mercatorum, ne contagione impliciti in terram descenderent; et quoties suspectis locis venerint, iis merces purgare, et omnia adhibere, quae ad contagionem extinguendam apta sunt imperare.

Quod ad institutum attinet cui Anglice nomen est *Quarantine,* sunt qui opinantur spatium quadraginta diebus brevius suffecturum esse, et qui dictitant homines, numero dierum minuto, regulas accuratius obser-

vaturos, et magistratus fallere minus saepe conaturos. Siquando malum contagiosum ortum est, et in quovis oppido aut regione grassatur, summa danda est opera ne contagio inter caeterorum locorum incolas diffundatur. Hanc ad rem oportet vetare homines proficisci, aut merces mitti loco infecto, nisi postquam compertum sit illos bene sanos esse, et has infectione vacare.

Deinde adhibenda est cura quam maxima ad impediendum ne contagio latius propagetur inter incolas loci, ubi originem duxit aut ad quem translata fuit. Omnes, igitur decet quam minime inter aegrotantes versari, ut morbum devitent.

Ad prohibendum commercium affectorum et vacantium morbo, magistratus multum conferre potest, si sinit tot homines quot sint morbo vacui, nec quibus ad munera necessaria opus est, oppido decedere. Si vetat conciones haberi et incolas nisi quam minime inter se misceri. Si dat operam ut

commercia necessaria sine contactu fiant. Si jubet res ita geri ut sit facile familiis manentibus se propriis domibus cohibere.

Si imperat omnem suppellectilem viro infectam publico dispendio purgari aut cremari.

Si efficit ut nosocomiis contagioni faventibus missis, aegrotantes in locis separatis curentur.

Expedit eos docere qui necessario in cubiculis aegrorum versantur, quasdam contagiones non valde malignam vim praestare, nisi corpora hominum eis oblata, varias propter res, plus solito affectu proclivia reddun-tur; vel nisi quaedam causae vim earum pestiferam excitare conspirent; et ideo, si ab his rebus et causis caverint immunitatem periculi habere posse.

Causae quae, quoties cum contagione conspirent, majorem vim ei dant, sunt frigus, metus, victus lautus.

Contra metum animus quam optime muniendus est, spem malum praecavendi modis eam ad rem adhibitis ei injiciendo; malum minime esse immedicabile hominibus fidem faciendo; mentes omnium negotio aut labore praeoccupando; omnes res quae metum movent sicuti funera prohibendo nec oportebit campanas, quovis mortuo, sonare aut ejus obitum inter amicos quolibet modo vulgare.

Victus lautus ex cibo animali constans irritabilitatem corporis auget idemque infectioni opportunius reddit. Cruditas quoque, sive a cibi mole, sive qualitate eundem effectum praestat.

Porro verisimile est quosdam modos corpora hominum roborandi adhiberi posse, quibus contra contagionem muniantur.

Hanc ad rem haud absimile est usum vini, aut liquorum fortium mediocrem conferre posse. Exercitatio, quoque, ea est ut si ad-

hibeatur qualis neque corpus calefaciat, neque fatiget multum prodesse queat.

Homines, qui balneo frigido uti soliti, et plerumque, ab eo firmiores redditi sunt, modo compertum habeant, se non jam contagionem accepisse, usu ejus a malo evadere tutiores possunt.

Ad haec accedunt quaedam medicamenta forsitan utilia, in homines ab infectione tuendo. Haec quidem omnia sunt quae tonica cognominantur, inter quae corticis Peruviani mentionem facere possumus omnium forte efficacissimi.

Si quidquam antisepticorum prodesse possit, camphora sive per os seu aliter adhibita maxime, ut putatur, est valitura.

Quoniam neque aër universus nec ulla ejus pars magna contagione inquinatur ignes late in urbe infecta accendere aut alios modos coelum universum purgandi adhibere

minime valet ad morbum praecavendum et fieri potest ut noceat.

Verisimile est progressus contagionis tardiores evasuros, si pauperes quam saepissime mutare vestimenta jubeantur et si facultas eam ad rem iis praebeatur, et si eodem tempore saepenumero purgare domus et suppellectilem iis suadeatur.

1. Quoniam periculi immunitas ex munditia et libero aëris aditu prorsus pendet, ostium cubiculi ubi laborans febre contagiosa, praesertim in tabernis pauperum, nunquam est claudendum : oportet ut ex fenestris una plerumque interdiu, et saepe etiam noctu pateat. Has regulas observare et aegro, et aegrum curantibus utilissimum esset et momenti insignis sunt, quoties amicus aliquis aegrotantem viserit.

2. Lectum aegroti nunquam velis arcte circumdare convenit ne omnino quidem, nisi ut ab luce defendatur.

Expedit quam saepissime vestes, vasa, et caetera mutare, ea statim in aqua gelida imponere, ibi tenere, et postea diligentissime lavare. Omnia aegrotantis excreta sunt statim auferenda. Loca lectum circundatia levari quotidie peniculo, et aquâ debent.

Aër in febricitantis cubiculo in aliis quam in aliis partibus multo magis infectus est; oportet ut amici igitur et aegri custodes caveant ne spiritum ejus, ne auram quae a corpore ejus oritur, praesertim si vela lecti submota fuerint, ne vaporem, quem omnes emittunt evacuationes haurirent.

Siquando officia necessaria aliquem huic periculo objecerint, infectionem, spiritu per spatium intermisso, effugere potest.

Omnes cavere decet ne qui esurientes febricitantem viserint; et si metus est ne contagionem acceperint, naribus mungere, et ore spuere quidquid viri in his spiritus viis adhaeriat.

Vestimenta omnia ex lana et gossipio confecta a corpore aegri submovenda, haec enim genera materiei ad contagionem accipiendam aptiora reperiuntur. Suppellectilis quam minimum in cubiculo locandum est; et ea, quâ opus est, quam minime ex ligno constare debet. Panni oleati vel fucati sub linteo inferiore et super linteo superiore sunt ponendi. Nulla major cibi moles aegrotanti porrigenda est quam potest uno tempore ingerere. Omnia animalia domestica, sicuti feles, canes, etc. cohibenda sunt ne in cubiculum intrent.

Postquam aeger ad sanitatem redierit eum impedire oportet ne inter homines versaretur, praesertim si ei fuerint in corpore aliqua ulcera; quum enim res sic se habeat, vis contagionis diutius durat. Quum mors accesserit, cadaver panno oleato et linteo inferiore involvendum est, et confestim amovendum in locum aut fornicem mortuis destinatum. Nec hominum debet ad sepulturam humeris afferri, ut solet fieri, sed in

aperto vehiculo. Prodest quoque calcem vivam in arcam et foveam injicere.

Omnes contagiones sive specificae sive putridae et frigore et calore extremis minuuntur, aut prorsus extinguuntur; et porro libero aëris aditu diluuntur aut solvuntur, adeo ut vim nocivam amittant. Ad contagionem prorsus delendam gradu caloris, qualis in clibano reperitur, opus erit; cujus autem animalibus minime patientibus, is non adhiberi potest, nisi ad vestimenta suppellectilemque purgandum.

Vapores acidorum mineralium apte diffusi, inter res quibus contra contagionem pugnamus, proximum fortasse locum igni tenent.

Acidum volatile vitriolicum vel sulphurosum in tollendo contagionem apprime prodest. Vis autem ejus noxia vetat nos eo uti, nisi in locis, qualia hominibus vacua sint.

Dr. CARMICHAEL SMITH primus docuit acidum nitrosum non minus efficere, ad contagionem extinguendum, dum simul nil impedit spiritum, nec vitam in discrimen adducit.

Medici Gallici, hortante Domino GUITON DE MORVEAU, acidum marinum tentaverunt; et id nequaquam aliis cedere ad contagionem praecavendam invenerunt, porro, quia magis volatile, forsitan esse anteponendum dictitant. Adhiberi quoque potest sine periculo, modo moles ejus non sit nimia, ubi homines adsunt. Acidum marinum parari potest ex muriate sodae per acidum sulphuricum decomposito. Si curemus ut talia salutis praesidia adhibeantur, multum mali praecavebitur, et calamitas pene omnium quibus gens humana plectitur, in limine sisti potest.

FINIS.